



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quem autem progenitores ad monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cœpit cantare, & legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit, sed si discesserit, reducatur. Si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur, uxorem si usurpauerit, dimittere compellatur.

De puellis quæ se ante legitimos annos sua sponte sacræ religioni tradiderint. Cap. XCVIII.

PVella si ante duodecim annos ætatis, sponte sua sacrum sibi velamen assumit, possunt statim parentes vel tutores eius id factum irritum facere si volūt. At si annum & diem id dissimulando consenserint: ulterius nec ipsa, nec illi mutare hoc poterūt. Porro si in fortiori ætate ad olescentulæ, vel adolescens seruire Deo elegerint, non est potestas parentibus hoc prohibendi.

De illo qui filiam, aut neptem, vel parentem suam Deo omnipotenti offerri voluerit. Cap. XCIX.

QVicumque filiam suam, aut neptem, vel parentem Deo omnipotenti offerri voluerit, licentiâ habeat: si autem, virum accipiat, domi infantes suos nutriat, & non aliam infra monasterium mittere nutriendi gratia præsumat, nisi eam quam firmiter in ipso loco, in Dei seruitio perseverare voluerit, secundum instituta sanctorum patrum, seu secundum canonicam auctoritatem.

De eadem re. Caput C.

OMnino prohibemus, ut nullus filium aut nepotem, vel parentem suum in monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam illum ibi suscipere audeat.

De abbate qui fœminas in monasterio suo festiuitates celebrare permiserit. Cap. CI.

SI abbas mulierem in monasterium suum ingredi permiserit, aut festiuitates aliquas ibidem spectare, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane & aqua tantum contentus.

Finis Libri Octauæ.